

uicem comparabiles per proportiōes musicales simplices, quæ sunt proportio dupla, proportio sesquialtera, proportio sesquitercia, quæ in Musica dicuntur diapason, diapente & diatesserō & sunt consonantiæ simplices musicales. Arcus enim aspectus oppositionis ad arcum aspectus quarti, est duplex. Et similiter arcus aspectus trini ad arcum aspectus sextilis. Et sic inter eos cadit proportio dupla & consonantia musicalis, quæ dicitur diapason. Item arcus aspectus oppositionis ad arcum aspectus trini, est sesquialter. Et similiter arcus aspectus quarti ad arcum sextilis, & sic inter eos cadit proportio sesquialtera, & consonantia musicalis, quæ dicitur diapente. Sed arcus aspectus trini, ad arcum aspectus quarti, est sesquitercius, & sic inter eos cadit proportio sesquitercia, & consonantia musicalis quæ dicitur diatesserō. Item arcus aspectus oppositionis ad arcum aspectus sextilis, est triplus, & sic inter eos cadit proportio tripla & consonantia musicalis, non simplex sed composita, ex diapason & diapente. Quia uero nullæ aliæ quantitates sunt in circulo sic proportionales, iccirco sapientes antiqui in prædictis quantitatibus assignauerunt aspectus, & non in alijs, sed cū planetæ uel stellæ sunt in eodem puncto circuli, non dicuntur se aspicere, sed coniungi, maximè cum eorū longitudo & latitudo est una.

Capitulum secundum. De diuersis opinionibus.

Quantum autem ad ppositū sciendū est, q̄ quidā dirigunt secundum gradus æquales, id est, secundum gradus zodiaci, & huius opinionis uidetur fuisse Albumasar octaua differētia secundi tractatus de coniunctionibus magnis, ubi dirigit lunam ad locum coniūctionis infortunatarum per gradus æquales. Similiter quidam accipiunt aspectus & radios secundū gradus æquales, et huius opinionis uidetur fuisse Alkabitius prima differētia sui, introductorij, & Mesahalah lib. de receptiōe, capitulo de uita nati, ubi sic dicit. Et scito quòd extensio radiorū planetarū, fit à gradibus æqualibus, sed da annos ab hilech per gradus